

1701. X, 5-38 — Carta da duquesa da Baviera para el-rei D. Manuel I a respeito do casamento de Guilherme, filho dela, com sua filha. 1519, Dezembro, 5. — *Papel. Bom estado.*

*Serenissime* rex domine ac cognate plurimum observande salutem prosperorumque successuum incrementa. *Si* nature ductum rationis atque honestatis vim consideremus nichil in activa civilique vita antiquius dignius aut sanctius esse bene convenientes conjugii charitate cum et ille omnipotens ac Summus rerum omnium Conditor Auctor et Creator Deus in primis nostris parentibus conjugium constituerit jusserit ac mandaverit quo et tuti reddimur et salutare.

*Quantavero* in eo versetur utilitas nemo est natura adeo profusus inconsideratusque qui dum videt se conjugali bono obstrictum non vehementem habeat amplificande rei familiaris rationem quibus utriusque studiis quanta conflatur utilitas neminem latet. *Cum* vero sanctissimo connubii vinculo externarum ac longissime distancium regionum homines indissolubili necessitudine et consanguinitatis nexu legentur quod et in nostra utriusque familia compertum neque serenissime dominationis vestre memoriam credisse (?) haud ambigo olim enim illustrissima Leonora vestre celsitudinis agnata Federico romanorum imperatori parenti nostro felicissimo divino matrimoniali vinculo connexa est qui et Maximilianum quondam invictissimum romanorum imperatorem et me in lucem edidit sed cum hujusmodi necessitudines que unico dumtaxat connubio stabilite sunt intercapedine fluxuque temporis corrui extinguique solent opportunum et apprime necessarium duximus de novo necessitudinis nexu tractare et agere ut vero res clarius elucescat proprius accedo eamque exordiar.

*Exploratum* habeo serenissimam dominationem vestram quosdam (*sic*) nubilis etatis habere filias divinitus institutas omnibusque nature dotibus ex asse decoratas.

*Sed* ego itidem adultos natos habeo inter quos primogenitus Guilielmus qui utrique Bavarie ut senior natu imperat in quo vix quisquam aliquid desideret ita est facie venustus membrorum compagine decentissimus statura corporis procerus cetera ne in suspicionem ut mater incida pretereo apertissimeque fame relinquo unum reticendum non est perspecta enim ejus inserilis fortitudo virtus et alacritas et ob id Maximiliano imperatori felicissime recordationis fratri nostro dilectissimo pre ceteris gratissimus fuit qui et animum ac voluntatem suam prorsus induxerat cum serenissima dominatione vestra agere ut Guilhelmo filio meo natu grandiori et primogenito tocius Bavarie gubernatori filiam serenitatis vestre desponsaret nuptuique traderet.

*Res* erat adorta legati seu oratores instructi itinerique accincti at tamen inde precabilis atropos illa filium vite abrumpens inter ipsum negocium morte prevenit cum vero exemplo majorum meorum maxime memorati Maximiliani romanorum imperatorum fratris mei amantissimi pristinam mutuamque inter nos familiamque nostram sanguinis et amicitie copulam innovare recuperare parique modo reinstaurare cupidissimo vehementique affectum affectu desideraverim. *Ea* confidentia jureque sanguinis freta utque pie parentis fungar officio et dulcissimi fratris Maximiliani sequar inceptum serenissimam dominationem vestram obnix rogo obtestorque si animo corde menteque sedeat hereat atque insistat cum prememorato Guilhelmo filio meo primogenito letos celebrare hime-neos quare graciosius jucundiusque michi in hoc seculo nichil contingere posset leciusque e vita migrare vellem.

*Quesi* serenitati vestre placita grata acceptaque videbuntur arbitratu ejusdem de legatis oratoribus mittendis aliisque necessariis et requisitis pro tante rei magnitudine eadem vestra serenitas cogitet destinet jubeat et mandet ea enim que ad me tanquam pietissimam matrem in hac sacratissima expeditione spectant integerrimo animo polliceor me que una cum dulcissimis natis meis serenitati vestre uti consanguineo meo observandissimo quam Omnipotens Deus felicissimo auspicio longissimis annis incolumen conservet plurimum comendo.

*Datum* ex oppido monachii nona Decembris anno Incarnati verbi M.D.XIX.

Cunigundes dux Bavarie manu propria.

(A. E.)